

*mus*; ubi quidem hæc adhiberi cautela debet, ne primo benignitatis tentamine id petamus, cuius præcipue gratiâ Patronum colimus; sed tale quid solitemus, quod recusari parum interest. Sic enim patebit, quid primarii finis respectu à Patrono sperare licuerit. Hoc perspecto, opus est, ut (2) *Probatam Benevolentiam prudenter conservemus.* Atque hic insinuandi studendum erit artificio, & ita capiendus Patroni Animus, ut non possit non esse benevolus. Duplices autem insinuationes requiruntur, quædam *Verbales*, quædam *Reales*.

23.

*Verbales* sunt duplicis Generis. *Alia in solis Complimentis Civilibus* consistunt, & vel Patroni Encomium, vel propriam Extenuationem pro Fundamento habent; in quibus tamen adhibendis probe respici debet Patroni indoles, cum non omnibus eadem venerationis ratio accepta sit; *Hic enim auctoritatem suam offendi putat, nisi magno observantiae submissioris apparatu sibi subserviat;* *Alter in deliciis habet Liberalitatem familiaritatis;* *Tertius amat digito monstrari, & dici, hic est; ut observat Besselius, in Fabr. Fort. Polit. Monit. IV.* *Alia ab his Complimentorum Blanditiis remotiores sunt, & applicantur securius, quando nimirum Res Patrono gratæ colloquiis miscentur; Tales sunt Relationes de Amicis, Narrationes de iis, quæ ad Patroni Actiones & Fines aliquid faciunt, & sic porro.*

24.

*Reales* itidem sunt duplices; *Alia sunt, Me-*  
*B 3* *rita*